Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1035
Quelle:
Copyright:

hemius Librum adpellat, quemque, utut diligenter quaesitum, Editores *Coloniensis* nancisci non potuere, quemadmodum ipsimet in fronte T. I. queruntur. En itaque illum futuro operum *Rabani* παρασατη. Praefationis ejus initium est: *Sacrosancta atque praesaga sanctorum Patriarcharum benedictio* &c. Operis ipsius: *Ruben primogenitus meus — Patet litteræ sensus, quia beatus iacob primum filium* &c. Atque cum Praefatio haec, tum primum *Rubenis* oraculum impressa sunt T. III. *opp. Hieronymi append. 2. supracit.* p. 739. verum ubi ad *Simeonem et Levi* devenitur, tota alia, multoque brevior, atque ex *Hieronymi Quaest. Hebraic.* decerpta subtexitur interpretatio, neque in *Admonitione* praevia vel *PP. Mauriani* vel ipse *Vallarsius Rabani* verbulo meminere, quamvis *Hieronymum, Augustinum, Gregorium M. Eucherium Lugd. Alcuinum* adpellarent, inter quorum Opera aut sincera aut spuria ejusmodi Benedictionum Explanationes extarent. Verum nostras ab his omnibus abire docet continuatio Benedictionis *Simeonis* et *Levi*. Ita illa: *Simeon et leui fratres. uasa iniquitatis bellantia. Patet litteræ sensus. quia hi duo fratres. ob ulciscendum stuprum sororis. suborn ata pace. et fictis amiciciis. deceperunt sichem. et emor patrem illius* &c. Finis: *sicut exultant qui diuidant spolia.* Subjecta est ἀνακεφαλαιωσις Praefationi consona, quam adscribo: *Haec ergo certa et paterna est regula. ut non solum uniuscuiuslibet sermonis. sed etiam totius sententię et causę sensum in diuinis litteris. non ex nostre opinionis preiudicio. sed ex ipsius diuinę lectionis serie id est precedentibus et consequentibus. si falli nolumus. exquiramus. Sicut beatus hieronimus docet dicens. Heret sibi sermo dominicus. et sequentia pendent ex prioribus. Prudens lector caue semper superstitiosam intelligentiam. ut non tuo sensui attemperes. scripturis iungas sensum tuum. et intelligas quid sequatur.*

VI. *fol.* 94. p. 2. *Questiones cujusdam de Theologia.* Ita manus recentior inscripsit *Epistolam* responsoriam *Anonymi* ad Quaestiones hermeneuticas tres Episcopi pariter Anonymi. Dabo Quaestiones ipsis Respondentis verbis: *Placuit interim uobis rogare quid sentirem super altercatione michaelis archangeli cum diabolo de moysi corpore. quod in epistola iudę apostoli legitur. quid etiam intelligerem de eo quod respondens dominus ad iob. de turbine dixit. Ecce beemmoth quem feci. tecum foenum sicut bos comedet; Post quę etiam nonnulla sequuntur. An extrahere poteris hamo leuiathan? quę singula. uerecunda subseruiente obedientia — breuiter intimabo.* Itaque per *moysi corpus* Populum *Israeliticum* intelligens altercationem in tempus captivitatis *Babylonicae* refert *Michaele* pro ejus liberatione Deum orante, malo Genio eum sub Idololatriae jugo retinere conante.